

dierunt ultra latrones Syriae in terram Israel, ut aliquid hostile ibi molirentur, prius semper immortales ejus hostes et praedatores. Potuit haec benevolentia, potuit unum prandium tam obstinatos hostes frangere et reddere amicos: et non possunt quotidiana Dei beneficia obstinatum hominem ipsi conciliare? Quis enim est, qui quotidie tibi prandium apponit, qui te reum gehennae in vita servat, et defendit insuper ab insidiatoribus vitae tuae, demonibus, nisi Deus? Nonne scimus pertinacissimum illud Davidis hostem Saullem, quando audiit a Davide se ab eo in spelunca deprehensum, non modo incolumem dimissum, verum etiam a sexcentis ejus militibus, qui configere eum parabant, fortiter defensum, levavisse vocem et in lacrymas resolutum, doluisse ac resipuisse dicendo: *Justior tu es quam ego; tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala: et tu indicasti hodie quae feceris mihi bona, quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, et non occideris me: quis enim cum invenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona?* I. Reg. XXIV. Jam vero te, obstinate, circumstant undique daemones, quasi canes leporem, ut te lanient et ad oreum trahant: imo et ipsi ss. angeli: *Vidimus et colligimus* (ad comburendum) eum, aiunt, Matth. XIII. Verum Deus retinet illos, et tu adhuc resistis?

III. Cogita pluviam sanguinis Christi, quot plagas ipsi tu causaris, ut te lucraretur! Mirum sane est, quod passim concionatores inculcant. Plinius, l. XXXVII. cap. IV. S. Hieronymus, in cap. VII. Amos alique scribunt adamantem, qui nullis malleorum ictibus rumpi potest, imo ipsos malleos rumpit, ideo Graece *adamas*, id est, *indomabilis* dictus, sanguine hirci calido et recenti perfusum, postea frangi posse. Quid vero aliud *adamas* nisi induratum cor peccatorum, de quibus Zach. VII. dicitur: *Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem?* Per hircum vero immolatum animal et pro nocentibus immolatum, designatum esse Christum, scimus ex Levit. capite XVI. Quid igitur? Considera, o adamantine peccator, Christum pro te sanguine perfusum, ut te redimeret a gehenna, eodem suo sanguine te quoque aspersisse, imo perfudisse, ut ad poenitentiam frangaris. Quomodo ergo non rumparis, et cor tuum scindis? Itane videre potes innocentissimum Dei Filium pro tua salute frustra concisum? Potuit hic sanguis in monte Calvariae recens scindere petras, velum templi, sepulcra, denique indurata Judaeorum corda, ut percutientes peccata sua reverterentur; et non possit christiana? Sane Eduardus Angliae rex, christiani et pii parentis impius filius, cum idololatriae et illicito

conjugio pertinaciter adhereret, Sanctus Laurentius Dorovernensis episcopus de ejus et regni reductione desperans, discessum e regno paravit. At nocte praecedente propter hoc a Sancto Petro dire flagellatus est. Qui mane factus rediens ad regem, denudat ille dorsum suum, idque monstrat verberibus ac plagis undique laceratum, dicens, se propter ipsum ipsiusque reductionem ad fidem et justitiam adeo crudeliter a Sancto Petro mactatum. Viso eo spectaculo rex, alioquin mire pertinax, infremuit, et salutari timore percussus, idololatriae et illegitimo connubio renuntians, summa veneratione Christi fidem suscepit. Refert venerabilis Beda, libro II. Angl. hist. Ergo potuit adamantinum cor regis moveri ad fidem et poenitentiam, plagis alienis solum inspectis, propter se tamen alteri innocenti inflictis: quid agis tu obstinate? Necdum moveris Christi plagis dirissimis tui recuperandi gratia ei impositis? Aspice solum dorsum Christi flagris concisum, Christum tui causa in cruce pendentem, lividum, oruentum, siti confectum, praedoloribus morientem: vide serpentem pro tui sanatione suspensum: qui in solo aeris typo aspectus sanavit tot millenos; non te sanabit patiens pro te in suo corpore?

Sancta Birgitta adhuc decennis, dum passionem Domini cordi suo fortiter imprimeret, vidit Christum in cruce sanguine recenti perfusum. Cumque illa diceret: *Domine, quis fecit tibi hoc?* respondit Christus: *Qui me contemnunt negligentes charitatem meam, mihi hoc faciunt*, in vita ejus abbreviata. Ergo qui contemnunt salutaria monita, ultra illas plagas, quas in passione sua accepit Christus, suo quodam modo infligunt ei super novas. Quod vel saxum pectus non frangatur hoc spectaculo? Quod si tamen alienae plagae frangere id necdum queunt, frangent aliquando propriae; atque utinam ad poenitentiam, non ad interitum! Sensit hoc quidam pernicax, sed ad suam, ut videtur, et aliorum emendationem, de quo noster Benicus, anno 1587. e Fuldensibus annuis. « Mox, ait, est in his pagis, ut sub ferias pentecostes festo culto solemnique caeremonia praeter prata et agros deferatur eucharistia, confusa multitudine in caelestium laudes carmina dicente. Sacrum olim ferculum juvenus, composito agmine, prosequeretur equis invecta. Jam, quoniam plerumque fit, sive vitio humani ingenii, sive temporis, ut praecleara orsa degenerent, quod natum erat a studio pietatis, in ludicrum vertit; ita dum cursus alii alique recursus inveniuntur ab equitibus et cientur simulacra pugnae, non deductio videbatur sacrae pompae, sed species decursionis. Enim vero indignum hoc erat

nostris praesentibus. et jure coercendum. Igitur unus ex iis opportune docet ac benigne, abstinendum tali tempore ab effuso illo cursu lascivoque certamine; utendum potius prisca gravitate et modestia, nihil opus esse lusibus, cum seria aguntur. Pulchre admovere visus, paruerunt omnes extra unum, cujus pervicacia exemplo aliis fuit. Dum enim nihilo secius ab aliis avulsus, subditis calcaribus equum concitat, et in planitiem dirigit, non adeo multum proventus, spectantibus corrui, equo in tibiam graviter incumbente: quae confracta cum esset, qui hoc viderunt, non eum magis misereri, quam increpare, et debitam esse poenam dicere pertinaciae suae. Nimirum praesenti unius dolore in posterum ceteri sapientiores esse didicerunt. » Sic ille apud Nic. Serarium, in l. I. de processione. c. VII. Ergo quia pertinaces frangere caput et voluntatem suam nolunt, tandem poena illos frangit, uti contingit huic cursori; cui bene ab equo crus confractum fuit, quia equi etiam praeferores frano edomantur, et in medio cursu sistuntur. Nulla etiam commiseratione, sed increpatione digni sunt, qui tot monitis cedere nolunt; juxta id Sapientis, Prov. I. *Desperastis omne consilium meum, increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo, etc.*

CONCIO V.

CHRISTUS MITIS, SED QUANDOQUE ETIAM SERVUS.

I. Mitis est erga fideles, austerus erga incredulos. — II. Mitis legis observatoribus, austerus praevicatoribus. — III. Mitis bonitate sua utentibus, severus abutentibus. — IV. Mitor in puniendis propriis injuriis, severior in alienis. — V. Mitis erga sinceros, severus erat fictos.

THEMA.

Mitis sum et humilis corde. Matth. XI.

Quid hoc, auditores? Audimus Christum dicentem in hodierno evangelio: *Mitis sum et humilis corde*, interim tamen addit: *Nemo novit Filium nisi Pater*. Quomodo ergo Filium non novimus, quem audimus esse mitem et humilem? Mihi sane videtur Christus Dominus non se totum agnoscendum praebuisse, cum ea verba protulit: solam enim faciem suam conspiciendam dedisse, dorsum celavisse; qua videlicet etiam justus et severus est, qualem certe se declaravit, cum paulo ante exprobravit civitatibus: *Vae tibi Corozain, va tibi Bethsaida, etc. et tu Capharnaum* (quae alioquin civitas Christi appellata est, Matth.

V. PARS FESTIVALIS.

IX. v. I.) *numquid usque in caelum exaltaberis? Usque in infernum descendes.* Accedit in testem servus ille, qui abscondit talentum suum; quique, cum ab eo lucrum dominus repeteret, respondit: *Scio, quia homo durus es,* etc. *Quia homo austerus es.* Neque id refellit dominus. Accedunt etiam alia non pauca testimonia. David eum appellat *dulcem, et rectum* (h. e. justum) *Dominum*, Psal. XXIV. Joannes in Apoc. cap. V. *agnum et leonem*; sponsa in Canticis, cap. I. *fasciculum myrrhae et botrum Cypri*, adeoque amarissimum et dulcissimum. Quando igitur utrumque de ipso praedicatur, videndum restat, quomodo haec duo simul stent.

I. Mitis est erga fideles, austerus erga incredulos, qui fidem sibi arrogantiam respuunt. Ad illos enim ait in hodierno evangelio: *Venite ad me omnes, qui laboratis, etc.* De his vero ait Matth. X. *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel de civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.* Cur hoc? Ut indicent nihil se commune illis, velut maledictis, ne pulverem quidem, habere velle, ut exponunt S. Hieronymus et Augustinus. Item in testimonium illis, ut ait S. Lucas, quod hic pulvis et labor, eorum gratia susceptus, eos accusaturus sit in judicio, ut explicant S. Hilarius et Origenes. Addit Christus: *Amen dico vobis: Tolerabilis erit terra Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.* Mitis ergo erit suo modo Christus etiam peccatoribus quibus evangelium praedicatum non est: austerus vero et terribilis iis, qui praedicatum respuerunt. Patet in Judaeis, qui per tot jam saecula luunt poenas pervicaciae suae, qua restiterunt evangelio, juxta praedictionem Jeremiae, cap. XVIII. *Sicut ventus urens dispergam eos coram inimico: dorsum et non faciem vertam eis in die perditionis eorum.* Fecit hoc primo, ad litteram, quando in cruce positus, faciem occidenti, dorsum Jerosolymae obvertit, ubi observat Franciscus Lucas, Matth. XVII. et alii; deinde, quando eos exterminavit et per orbem dispersit atque in pertinacia sua reliquit, usque ad finem mundi, Qua poena et indignatione quid austerius esse potest? Eandem austeritatem experiuntur apostatae prolapsi a fide semel suscepta et religione. De his apostolus, ad Hebraeos VI. ait: *Impossibile, h. e. difficillimum, esse renovari eos ad poenitentiam.* Et patet imprimis experientia, tales vix unquam resipiscere, destituti proinde Dei gratia efficaci. Deinde, etiam nationes illas, quae semel acceptam abjecerunt fidem, rarissime et difficillime ad eam revocari. Quod videtur indicatum in curru, quem Ezechiel vidit trahi a quatuor animalibus, quae designant

quatuor evangelistas trahentes currum evangelii per universum mundum; ea vero non revertentur per viam, quam semel perambularant, Ezech. I. Denique, communiter perire et mala morte plecti apostatas: quod in Juliano imperatore, invisibili plaga et jaculo percusso, gentiles ipsi agnoverunt: et: « Admirati sunt ulciscens Dei Christianorum vim et iracundiam; quorum unus, nuntiato ejus interitu, dicebat: Quomodo Christiani aiunt, Deum suum esse patientem? Nihil iracundius, nihil hoc furore presentius: ne modico quidem spatio indignationem suam differre potuit, » ut scribit Sanctus Hieronymus, in cap. III. Habac. Severum etiam expertus est Carolomanus a religione et ordine sacro apostata factus, qui a patre propterea excolatus, in ærumnis misere petiit, apud Regionem, libro II. chronic. anno 870. Magis recenter Gustavus Suecicæ coronæ invasor et usurpator circa annum 1573. qui, catholica religione in sectam Lutheranam mutata, atque e Succicæ regno profligata, Deo vindice in amentiam delapsus est, in qua Carolum filium tum puerum de ponte in amnem præterfluentem dejecit; ubi is utique periisset, ni satellitis unius ope ereptus fuisset: ex quo tempore conscientie stimulis agitatus miserabilem vitam duxit, atra bile demum extinctus. Aiunt, eo moriente, nigrum molossum cubile ejus ingressum, dentibus stragula morienti detraxisse, tamque horribilem tempestatem toto regno exortam, ut extremum mundi diem allatura videretur, Florim. l. IV. hæres. cap. XV.

II. Mitis est legis sue observatoribus, austerus prævaricatoribus, juxta id Ps. XXIV. *Dulcis et rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* Ad hoc indicandum, juxta legis tabulas, quæ solæ, ut patet III. Reg. VIII. et II. Par. V. erant in arca fœderis, ad latera arcæ asservabantur manna et virga Aaron, ut habetur ad Heb. IX. § IV. Manna dulcissimum remuneratorem observantibus legem: virga severissimum ultorem prævaricantibus nuntiabat. Hinc Christus in extremo judicio sessurus supra iridem pingitur, a dextra sua ramum olivæ viridem, pacis et misericordie symbolum: a sinistra gladium demonstrans. Qui ad dextram ejus stabunt, audient: *Venite benedicti*; qui vero ad sinistram: *Ite, maledicti*. Quam dulce illud manna! Quam aspera et terrificæ hæc virga! Hinc Joanni, Apoc. IV. visus est Christus sedens supra sedem: *Et aspectus ejus similis jaspidi et sardio*. Jaspis virens, bonæ spei symbolum, gratiam et misericordiam erga morigeras oves: sardius rubens et ardens, Dei iram erga rebelles hædos effundendam indicat, ut ibi Blas. Viegas et Pererius notant

Quare de ipso dici potest id Proverb. XIX. *Sicut fremitus leonis, ita et ira regis; et sicut ros super herbam, ita et hilaritas ejus.* Rugitus leonis cætera animalia, quæ sua celeritate ipsum evadere possent, quasi regio edicto sistit, et necem eis denuntiat: mox nimirum a rugitu invadendis et laniandis (*rugientis enim sonitu velut quadam vi attonita atque icta deficiunt*) ut ait Sanctus Ambrosius, lib. VI. hexam. cap. III. Ita Christi judicantis sententia percellit et sistet coram tribunali suo improbos, mox a sententia rapiendos ad supplicia et ab igne gehennæ devorandos. E contra, sicut ros herbas ab æstu refrigerat suavi aura, pinguedine succoque vitali aspergit, recreat, impinguat ac fecundat; ita sententia ejusdem judicis incredibili gaudio et refrigerio adimplebit electos, ut in eum locum ven. Beda explicat: « De Deo rege dicit, inquit, qui et in judicio hilaris ac blandus justis, e contra terribilis apparebit injustis. » Quam etiam ob causam Joannes Apoc. V. appellat eum *agnum et leonem*: *Ecce vicit leo de tribu Juda*: et paulo post: *Ecce in medio throni agnum stantem*. Quid mansuetius agno? Quid terribilius leone? Qui ergo mitem et suavem desiderat Christum judicem, suave ejus jugum arripiat cum Davide, qui ait: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, velut mel ori meo!* Psalmo CXVIII. Quod si id velut amarum nimis respuas, amarum etiam et austerum habebis judicem.

III. Mitis et benignis clementia et bonitate sua utentibus: durus et austerus eadem abutentibus. Qua de re Ecclesiasticus, capite V. *Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira ejus*, q. d. verum est Deum in misericordia magnum esse: sed magnus etiam et in justitia, præsertim si abutaris ejus misericordia, in ejus præsumptionem peccando: tunc enim quanto mitior est in resipiscentes, tanto austerior erit in præsumentes. Unde Sanctus Gregorius, lib. XXXIII. mor. c. XV. ait: « Neque ita justitiam timeat peccator, ut nulla spei consolatione convalescat; neque ita confidat de misericordia, ut adhibere vulneribus suis penitentiae negligat medicinam, sed quem præsumit sibi pie placere, semper etiam cogitet districte judicare. » Vina quo dulciora sunt et generosiora, si corrumpantur et in acetum degenerent, eo fiunt acidiora et mordaciora. Pari modo Christus Dominus, quo suavior est peccatoribus ad eum revertentibus, eo severior erit remoras neccentibus spe gratiæ ejus temere præfisis. Eo sensu intelligi potest quod de ipso sponsa Canticorum I. ait: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea com-*

morabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Enggadi. Myrrha est arbuscula scabra, spinosa, foliis aculeatis, caudice duro et intorto; e cujus vulnere defluit lacryma, gustu acris cum amarore, ait ibi P. Cornelius. E contra botri Cypri ex Cypro, in Judæam delati, continent vinum Cyprum seu Creticum (vulgo Malvasiam dictum) dulcissimum et præstantissimum, eod. auct. Utrumque tribuit sponso dilecto suo, Christo; sed qua ratione? Botrus Cypri erit peccatoribus ad penitentiam festinantibus, dulcissimus et mitissimus: vicissim myrrha aspera, aculeata, dura et amarissima illis, qui ejus longanimitate abusi: *Secundum duritiam suam et impenitens cor, thesaurizant sibi iram in die iræ*, ut ait apostolus ad Romanos II. quia nimirum fasciculus myrrhæ nimis diu inter ubera eorum commoratur, dum præfisi in Christi meritis, pergunt semper in peccatis et commorantur in eorum dulcedine. In eodem capite I. Canticorum, Christi nomen dicitur *oleum effusum*. Oleum autem liquor est gratus placidusque ad linienda vulnera adhibitus, ut ex illo Samaritano patet, qui oleum vulneribus sauciati infudit: attamen si calorem concipiat, omnium maxime ignem retinet et inurit, ut ait Tafo, in capite II. Ecclesiastici. Hinc pro maximo supplicio habetur, si quis reus in oleo frixetur. Oleum effusum est nomen Christi, suavissime deliniens et sanans vulnera peccatorum, cito resipiscentium: idem tamen in iram vertitur et vehementissime sævit in illos, qui ejus misericordia abusi sunt. Hinc Ezechiel, capite IV. jubetur obsidere Jerusalem sartagine ferrea. Qua ratione? Quia ut oleum in sartagine frigit carnem, sic voluit Jerosolymitanos Deus dirissima torquere obsidione: et torsit, maxime sub Tito imperatore, quia: *Necesse erat, ut contumaces Israelitæ, qui Dei clementia abusi fuerant, Dei iram experirentur*, inquit ibi S. Hieronymus. Botrus Cypri expertus est filius prodigus, quando in tempore resipuit, et ad patrem suum, blandissime exceptus, et velut oleo in vulnera infuso sanatus, et in pristinam fidem atque amorem receptus est. Item S. Petrus, quando aspectu Christi monitus, velut cera a facie ignis liquefactus, flevit ideoque ab ipso resuscitato clementissime acceptus est. Myrrham sensit Judas, clementia Christi abusus, et tarda nimis penitentia ductus, ideoque desertus; quia nimirum ipse, quando osculo Christum tradidit, id ipsum ex præsumptione in ejus bonitatem et clementiam fecit: *Confidebat enim in lenitate magistri*, inquit S. Chrys. hom. XXXIV. in Matth. *quæ res maxime confundere illum hominem et omni privare venia sufficit, quia ita mitem atque mansuetum prodebat magistrum.*

IV. Mitis est in puniendis propriis injuriis, austerus et severus in alienis, suorum præsertim servorum. Multa sunt quæ hoc ostendunt. In primis parabola illa servi debitoris, Matth. XVIII. in qua Dominus remisit ei non difficile decem millia talenta: at ubi egressus servus suffocare cepit conservum suum, sine commiseratione tradidit eum tortoribus, donec redderet omne debitum. In quem locum S. Chrysostomus, hom. XXVII. in Gen. ait: « Magna et infallibilis Dei misericordia: cum in se quidem peccatum est, ad nudas tamen preces totum remittit: cum autem in conservum videt crudelem et inhumanum, suam revocat liberalitatem, monstrans illi reipsa, quod non tam illum, quam se ipsum offendisset. » Idem s. pater, hom. XIX. in Gen. insinuat gravius objugatum Cainum, quod occidisset fratrem, quam objugatus sit Adam, quod Deum tantum offendisset. Adame enim dixit Deus: *Maledicta terra in opere tuo*, Caino vero: *Maledictus eris super terram*. Ibi non Adam, sed terra ab eo colenda; hic vero ipse Cain maledicitur: quemadmodum et serpens, qui eam seduxit. Eundem etiam Cainum in se solum peccantem suo sacrificio, leniter corrigit verbis illis: (apud Septuaginta interpretes) *Peccasti, quiesce*, Gen. IV. § VII. Abelis vero sanguine pollutum severe increpat et castigat. Unde S. Chrysostomus, hom. XXVI. in Gen. *Vides, inquit, quomodo Deus, quando in ipsum peccavit, peccatumque non vulgare dimisit; quando autem in fratrem armavit dextram, maledictum intulit et increpavit*. Primus, qui avertit populum Hebræum a Dei cultu fuit Jeroboam, III. Reg. XII. verum Deus non tunc, sed postea primum exseruit in ipsum iram suam, et arefecit manum ejus, quando is eam extendit in prophetam, jubens eum apprehendi, III. Reg. XIII. regis Achab et uxoris Jezabelis sanguinem linxerunt canes ex decreto Dei, non quando in ipsum Deum impii fuerunt, sed quando abstulerunt vineam Naboth, III. Reg. XXI. Denique, Christus in passione, ad injurias proprias, tot licet ac tantas, surdus quasi et mutus fuit, nec ullo modo se vindicavit: ubi vero vidit Saulum insidiari servis suis Damasci degentibus, ut victos abduceret, contra eum cœlo clamavit: *Quid me persequeris?* Non sane in propria persona (quod non poterat) sed in servis meis. Quem Judæorum aut militum in passione sua prostravit vel cæcavit, aut etiam perterritum, uti Saulum, tunc Christianorum persecutorem? Quæ sane res potenter monet, ut nos similiter proprias quidem injurias æquo animo feramus: Dei vero et proximorum injurias minime; sed vel acriter puniamus, si officii nostri est; vel summo cum dolore sentiamus, quomodo Saul, qui cum adhuc inter-

ger et bonus esset, proprias injurias et contemptus dissimulavit, I. Reg. X. § XXVII. ad Dei vero contemptum ita exarsit contra regem idololatram, ut duos boves conciderit ad excitandum populum in ultionem ejus injuriæ, I. Regum XI. § VII.

V. Mitis erga illos, qui bona fide cum ipso agunt in confessione et s. communionem, faciuntque quod in se est, sincere expiando suam conscientiam a gravibus peccatis: austerus e contra et acerbus in eos, qui fecte et simulate. Mitem expertus es Barnabas, qui pretium agri sui ad pedes apostolorum fideliter deposuit, Actorum IV. unde post apostolus est creatus. Terribilem sensere Ananias et Sapphira, Petro, imo ipsi Deo imponentes ac mentientes, ideoque morte subita plexi, Actorum V. De iis vero, qui scienter cum mortifero peccato sumpserunt s. eucharistiam, quam sæpe et graviter puniti sint multa scimus exempla; et satis est, quod apostolus ait, eos sibi *manducare judicium*, I. Corinthorum XI. Est in *vita bonis et mors malis*, ut canit S. Thomas Aquinas, quemadmodum arca fœderis gaudium attulit animosque addidit Hebræis, cum in eorum castra deferretur; terruit vero, et paulo post dire cruciavit ac mactavit Philisthæos, I. Reg. V. et sequenti. Rursum benedictionem intulit domui Obedom, qui ex obedientia, nec sine timore et reverentia (visa Ozæ plaga) eam excepit, mortem vero Ozæ, irreverenter eam tangenti, II. Reg. VI. ita Christus in eucharistia sumptus, amicis suis confert gratiam et robur, inimicis vero mortem. Manna a malis et inobedientibus servatum, multis vermibus scatebat; a bonis et morigeris susceptum, nectare et ambrosia suavius sapiebat, Exod. XVI. § XX. mare rubrum Hebræos defendit, Pharaonem demersit: columna nubis Hebræos illuminabat, Ægyptios exæcabat, Exod. XIV. § XX. virga Aaronis illis aquas dedit, his vero abstulit, convertendo eas in sanguinem, Exod. VII. et XVII. fornax Babylonica tres purores refrigeravit: denique: « Sicut odor vineæ florentis juxta naturam suam dulcis est hominibus, sed intolerabilis est serpentibus; sic Christus Dominus vitæ est in vitam, et malus odor mortis in mortem, » ait Stella, in Luc. II.

VI. Mitis est in præsentis sæculo malis, dum relinquunt eis libertatem agendi quod volunt, tacet cum offenditur, et facile reconciliatur veniam peccantibus; at vero in judicio, cum exigit rationem

a singulis, austerum se et frigidum exhibebit, nihilque prorsus inultum dimittet. In Troglodytis dicitur esse fons *solis fons* dictus, qui interdum et dulcis frigidus est, bibiturque ab omnibus suavissime: noctu autem amarus et severus, ut nec tangi queat, Plin. I. II. c. CIII. In libro Josue, c. XV. fit mentio *fontis solis*, per quem Origenes, hom. XIX. in Jos. Christum intelligit, et bene; dulcis enim est de hujus vitæ, et ab omnibus bibitus: at in nocte judicii, de qua Dominus ait: *Venit nox, quando nemo potest operari*, Joan. IX. zelo justitiæ fervebit. Tolerat hic Christus omnis generis injurias et contemptus, juxta id Sap. XI. *Misereris omnium, quia potes, et dissimulas peccato hominum propter penitentiam*, sed ibi fulminabit velut judex. Anno 1461. Georgius Podiebradius, Bohemiæ rex, pro more balneum adiit, et dum tondetur, tonsor nomine Ianda regem interrogat, cujus nunc regnum Bohemiæ esset? Respondit rex: Cujus nisi tuum, in cujus manu rex? Approbato hoc dicto a tonsore, rex jam attonsus quærit vicissim ex Ianda: Quis nunc rex Bohemiæ? Respondet ille: Vestra majestas regia. Tum ei rex colaphum impexit, et prostratum pedibus calcavit, adeo ut miser octavo die mortem obierit: rex iratus e balneo exivit. Refert Wenceslaus Hagecus, in chron. Bohem. Non aliter cum Christo, imo longe audacius ludunt peccatores in hac vita; ludunt inquam et illudunt quasi ipsi reges essent et Deum ejusque clementiam in sua manu et potestate haberent: Christus vero dissimulat atque ad penitentiam eos expectat si forte errata sua revocent. Quod si non fecerint, surget tandem in judicio, et se solum regem omnium sæculorum ostendet, ac tum de illusoribus suis ultionem sumet, eosque prosternet in gehennam. Nunc interim Christus sedet, audit, tacet, patitur insolentias hominum, quo spatium habeant penitendi: concedit diem, quem jurisconsulti appellant *utilem et legitimum*, cum datur dilata ordinaria, et per se agere licet: *veniet aliquando dies fatalis, dies sessionis, dies faciendi judicium*. Propterea Ecclesia hoc tempore cum apostolo nobis intonat illud: *Ecce nunc tempus acceptabile ecce nunc dies salutis*; quo profecto indicat non semper forte tales dies. Ego qui vult Christum sibi experiri mitem in illa die, nunc eum sibi demulceat, non irritet, neque ad iram provocet: alioquin damno suo sentiat severum.

IN FESTO S. JOSEPHI SPONSI B. VIRGINIS.

CONCIONES.

- I. *Joseph genuinus filius David.*
- II. *Qua ratione S. Joseph creverit in eximiam sanctitatem.*
- III. *Nobilium symbola et monita, applicata veris etiam Christianis.*
- IV. *Virtutem magis nobilitare quam sanguinem ostenditur.*

AUCTARIUM.

- I. *Joseph genuinus filius David.*
- II. *Qua ratione S. Joseph crevit eximiam sanctitatem.*
- III. *Nobilium symbola et monita, applicata veris etiam Christianis.*
- IV. *Virtutem magis nobilitare, quam sanguinem ostenditur.*

CONCIO I.

S. JOSEPH GENUINUS FILIUS DAVID.

- I. Quia fuit adeps separatus a carne, uti David. — II. Quia fuit lucerna Israel, uti David. — III. Quia fuit vir secundum cor Dei, uti David. — IV. Quia fuit quasi angelus Dei, uti David. — V. Quia fuit ligni vermiculus, uti David.

THEMA.

Joseph fili David. Matth. I.

Div. Chrysostomus, orat. IV. refert, familiam quamdam Spartanorum apud Thebanos fuisse nobilem, quæ hæreditario quodam jure lanceæ speciem corpori a natura inustam seu impressam gereret: qua qui carent, pro illegitimis habebantur. Fuit ea res documento cæteris Spartanorum nobilibus, ut si vere nobiles esse vellent, majorum suorum bellicositatem ac virtutem sibi etiam impressam ostenderent: sin minus, illegitimi et spurii haberentur. Hujusmodi nobilis genere et virtute fuit S. Joseph, ab angelo *filius David* appellatus; non eo tantum nomine, quod a stirpe et sanguine regio David oriundus, sed quod ejusdem virtutum insignibus exornatus, adeoque et sanguinis et sanctitatis hæres esset. Ita enim de ipso scribit S. Bernardus, hom. II. super *Missus est*: « Vere de domo David, vere ex regia stirpe descendit vir iste Joseph, nobilis genere, mente nobilior, plane filius David, non degenerans a patre suo Davide: prorsus, inquam, filius David non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione, » atque hoc voluisse Lucam evangelistam dicere, cum ait fuisse eum de domo David: verum scilicet hæredem Davidis et sanguine et virtute. Magnum certe hoc est encomium Joseph;

quis enim et quantus fuerit rex David quis est qui nesciat? Igitur nunc videamus, qua ratione similis fuerit patri filius.

Varia Davidis encomia refert celebratque S. Scriptura, quæ Josepho nostro perquam apte conveniunt, velut genuino ejus filio.

I. Imprimis Ecclesiasticus, c. XLVII. ait: *Quasi adeps separatus a carne, sic David a filiis Israel*. Notum est ex Lev. III. adipem ex hostia pacifica a carne separari Deoque immolari ac cremari debuisse. Dum ergo Davidem hujusmodi adipem appellat Ecclesiasticus: *Ostendit*, ait Rabanus, *cum gratia Spiritus s. repletum, a carnalium et peccatorum hominum consortio in moribus et vita sequestratum esse et alienum*. Totum enim se Dei obsequio adixit, non quærens unquam, quæ sua sunt, sed quæ Dei. Unde Ps. CXV. ter se Dei servum appellat: *O Domine quia ego servus tuus, ego servus tuus et filius ancillæ tuæ*. Multo verius convenit hoc encomium S. Josepho, ipse enim totus, quantus fuit, Dei et Christi filii ejus, hujus denique matris obsequio addictus fuit, Dei, quia velut creatori suo ad omnes ejus voluntates faciendas paratum semper se exhibuit, ut ex evangelio liquet: filii ejus, quia totus incubuit, ut ipsum educaret, suo officio sustentaret, sola sollicitudine defenderet ab ira Herodis et malevolorum: matris ejus, quia eam accepit in conjugem, non ut thori consors esset, vel ex patrimonio ejus viveret, sed ut virginalem ipsius maternitatem tueretur ac custodiret, mariti quidem personam quasi thori consortem gerens (sed nequaquam exhibens); ne ipsa velut adultera a Judæis haberetur et puniretur. Itaque verissime dicere poterat: *O Domine ego servus tuus, (Dei inquam Patris) ego servus tuus (Filii tui) et filius ancillæ tuæ, quæ dixit: Ecce ancilla*